



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. V. Vtrum Angeli possint intra eandem speciem multiplicari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

Actuali corpoream specie distinctam ab homine. Sed abstrahendo ab hoc, nego maiorem objectionem; instantiam do duplicem. prima sit, si dividatur substantia corporea in intellectuales & non intellectuales. secunda: si dividatur Animal in rationale & irrationale: in utraque alterum divisionis membrum latius patet.

831. Obijc. 3. Possit cognoscere plus & minus, est solum differre secundum plus & minus; atqui Angeli solum differunt secundum posse cognoscere plus & minus: ergo solum differunt secundum plus & minus: ulterius differre solum secundum plus & minus non est differre specie, ut patet in magis & minus albo, in visione vel cognitione attingente plures vel pauciores homines: ergo. 82. Negando minorem: vel distinguendo. differunt secundum posse cognoscere plus & minus per diversum motivum formale, concedo, aliter nego minorem: item differunt Angeli, quod unus exigit posse eadem specie cognoscere plures rerum species, & etiam nobiliores quam possit alter, & possit etiam à pluribus discernere illa objecta quæ non comprehendit &c. hoc autem non est præcisè excedere secundum plus & minus, prout album ut duo exceditur ab albo ut quatuor, ut patet: quia id per quod excedit, non est ejusdem estimationis cum eo, cui superadditur excessus. & hæc de primo quæsitio. Circa secundum non superest lis scholastica: conveniunt enim DD. dari diversas species Angelorum: quæ autem circa Hierarchias & Choros dubitari possent, apud Scripturæ Interpretes videri possunt.

CONTROVERSIA V.

Utrum Angeli possint intra eandem speciem multiplicari.

832. Negant communis Thomistæ, tribuentes eam S. Thomæ, quos ex nostris secutus est Granadus. Dicendum tamen est, possibile esse duos Angelos solo numero differentes. Adverte, ad hanc conclusionem sufficere, si potuisset Deus loco Michaelis producere alium ejusdem speciei, etiam si nec simul nec successivè illos posset producere: sicut etiam si repugnent duæ durationes ejusdem subjecti & ejusdem classis simul aut successivè existere, non propterea repugnat esse plures ejusdem rationis possibiles, quia una potuisset loco alterius produci. Sententia est communis, cui ex Thomistis adhaerunt Ferrariensis, Capreolus, Bannez, Zumel, Ripà, & alij.

833. Quod attinet ad S. Thomam, is subobscure locutus est hoc articulo. 4. in C. ubi videtur asserere, impossibile esse differentiam merè individualem Angelorum. Verum ipsi Thomistæ volunt esse intelligendum de potentia ordinaria, quia non caret probabili fundamento, connaturalius esse, si omnes Angeli differant specie, quam si aliqui solo numero. Colligitur

autem hæc interpretatio ex toto discursu D. Thomæ: dicit enim, perinde esse impossibile, dari duos Angelos ejusdem speciei, sicut impossibile est, dari plures albedines separatas: atqui hoc non est impossibile de potentia absoluta. Deinde D. Thomas disertè contrarium tenet, opusc. 16. §. vult. ubi in solutione primæ objectionis Averrois, ad finem ait: *Valde ruditer argumentantur, ad ostendendum, quod Deus facere non posset, quod sint multi Intellectus ejusdem speciei, credentes hoc implicare contradictionem: & ibidem ait, quod licet substantiæ separata non habeant in sua natura causam distinctionis, nec naturalem cursum multiplicationis, possint tamen fortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis.*

834. Quamvis ad hanc conclusionem astruendam plerisque sufficiat solvere argumenta contraria, eò quod potentia divini nihil denegandum sit, cujus non possit reddi ratio implicantiæ; & nostro concipiendi modo non ideo (inquit S. Thomas) res non implicat, quia Deus potest facere, sed ideo Deus potest facere, quia non implicat, nihilominus argumenta positiva faciunt, ut ad solutiones objectionum recipiendas facilius inducamur.

835. P. Martinus Esparza conclusionem sic probat. Si quid obstat multiplicationi numerica Angelorum intra eandem speciem, obstat eorum perfectio, quæ illis convenit ex genere suo; sed hæc non obstat: nam Angelus quantumvis perfectus, plus distat à perfectione Dei, quam ab imperfectione materiæ corporeæ: nam à Deo distat infinitè, à materia tantum finitè: ergo potius cogitandum est, esse multiplicabiles numero sicut materia, quam immultiplicabiles sicut Deus. Verum hoc argumentum utcumque solveretur dicendo, quod sicut non obstante minore Angelorum distantia à materia quam à Deo, nihilominus Angelus ex essentia sua habet & participat perfectionem indivisibilitatis in partes integrales, quam materia non habet, ita etiam eadem minore distantia non obstante, participet perfectionem immultiplicabilitatis, & adhuc distare à Deo infinitè, quia sunt infinitè multiplicabiles in specie.

836. Probo ergo Conclusionem impugnando directè fundamentum adversariorum, desumptum ex participabilitate divinarum perfectionum, unde concludunt, quod cum Angeli, utpote perpetui & immortales, non egent virtute propagativa suæ speciei, sicut sublunaria, ideo potius debuerint participare perfectionem divinæ immultiplicabilitatis: ad quod postea respondimus, nunc autem

837. Argumentor hoc modo. Eò usque solum possunt creaturæ assimilari primo Enti, quovsque talis assimilatio est gloriosa primo Enti: sed assimilatio excludens multiplicabilitatem intra speciem, non est gloriosa primo Enti, quin potius multiplicabilitas est illi gloriosa: ergo

Q3

Angeli

Angeli non possunt assimilari Deo in prædicato immultiplicabilitatis. Minor probatur. Omnis perfectio divina participabilis à creaturis, est entitativè perfectio infinita: ergo debet esse participabilis participabilitate summâ, quâ Major exco-
gitari non potest: ergo debet esse participabilis infinitus, hoc est, non toties, quin pluries: ergo perfectio specifica quam participat v. g. Michaël, est æqualiter participabilis à pluribus in infinitum. Probatur penultima consequentia. Nam sicut ex Infinitate Dei provenit, ut à nulla creatura possit ita participari, quin ab alia possit magis & melius participari, ita ab infinitate cujusvis perfectionis particularis etiam ut participabilis est à Michaële, provenire debet, ut possit à pluribus participari.

838. Pro confirmatione argumenti observandum est, non posse ab adversariis nominari ullam perfectionem divinam, quæ non possit à pluribus solo numero differentibus participari: neque possunt dicere, ipsam immultiplicabilitatem intra eandem speciem esse hanc perfectionem; hoc enim dicendo contradicerent sibi, dum volunt hanc immultiplicabilitatem ab omnibus Angelis participari, qui proinde in hoc prædicato non differunt specie. Præterea Immultiplicabilitas divina non est perfectio quædam specialis seu particularis, qualis est Iustitia, Liberalitas &c. sed est prædicatum transcendens, hoc est, afficiens omnia prædicata particularia Dei: sicut enim æternitas, & Immenitas reddunt omnia prædicata Dei æterna, immanita, ita Immultiplicabilitas reddit omnia divina prædicata immultiplicabilia. Cum itaque adversarii, non possint ullam divinam perfectionem particularem nominare, per cuius participationem Michaël differat necessariò specie ab omnibus alijs, inanis illorum persuasio & imaginatio est, latere in Michaële tale prædicatum immultiplicabile: omnia ergo prædicata participabilia sunt participabilia infinitus, quia cuivis inest ratio infinitæ participabilitatis.

839. Obijciunt adversarii. 1. Autoritatem Aristotelis, pluribus in locis, ubi videtur asserere, quod sicut species rerum desumitur à forma, ita Individuatio desumatur à Materia. Sensus est, quod illa differant Individualiter duntaxat, quæ vnicè differunt per materiæ diversitatem, eò quod vnum habeat Materiam A, alterum Materiam B. specialiter autem quoad Angelos docuisse videtur 12. Metaph. t. 49. eos non posse differre solo numero, ex eo principio, quod quæ sunt numero plura, habeant materiam: Angeli autem non habent materiam. Eandem Aristotelis opinionem videtur approbasse S. Thomas.

840. Respondet rectè P. Esparza, Philosophum non esse in quæstionibus de Angelis curandum, nec esse tutum ei adharere, illisque principijs niti, quibus ipse doctrinam suam inædificavit, propter plures crassos errores ejus circa Intelligentias, quos omnes Catholici Doctores fatentur ab eo commissos. Circa authorita-

tem S. Thomæ jam aliquid dictum est supra: addit P. Esparza, quod S. Thomas noluerit corrigere Aristotelem in hoc puncto circa principium Individuationis seu differentie individualis, eò quod non esset res pertinet ad fidem.

841. Quod attinet ad textum ex 12. Met. allatum, cui vnicè iunxitur P. Sylvester Matruus, respondetur, Aristotelem nihil ibi dixisse, quod adversariis faveat. Asserit ibi, vnum esse primum Motorem; per primum autem Motorem intelligit primam & supremam Intelligentiam, ipsum Deum, ut ex omnium confessione notat Derkennius: hunc ergo probat ibidem, nec numero, nec ratione, id est specie, posse multiplicari, eò quod careat materiâ. per materiam autem non intelligit illam materiam, quæ caret Angeli, nempe Materiam corpoream, sed Potentialitatem, seu mutabilitatem & perfectibilitatem. Videatur Derkennius hic, qui relatis erroribus Aristotelis circa Intelligentias, sic concludit: *Constat ergo, plenissima esse erroribus contra fidem, quæ Aristoteles de Intelligentijs scripsit.*

842. Obijciunt. 2. Eò ipso quod aliquæ formæ per intellectum abstrahuntur à materiâ, & ab ordine ad materiam, atque ab ejus accidentibus & proprietatibus, loco, tempore &c. eò ipso, inquit, fiunt extrinsecè vnum specie, nempe universale: ergo cum quilibet Angelus sit separatus à Materiâ, & ab ordine ad materiam, ejusque proprietates, hoc ipso erit intrinsecè vnum specie. 2. Hoc argumento non probati intentum, sed ad summum, quod intellectus creatus non habeat fundamentum aut inditum ullum discernendi vnum Angelum ab alio ejusdem speciei, si secludat omnem ordinem ad materiam aut corpus aliquod determinatum, quia scilicet Angeli nec tempore differunt, neque se invicem loco excludunt: unde non possunt ab invicem discerni ab intellectu creato non cognoscente ea, quæ pertinent ad secreta cordium, sicut non possumus discernere ovum ab ovo, nisi videamus existere in diversis locis, vel successivè. Ceterum per hoc non probatur implicatio plurium ejusdem speciei, ne quidem ut simul existant: quidquid sit, an ex alio capite probari possit, esse illis connaturalius, ut non multiplicentur numero intra eandem speciem, propter aliquam fortassis inconvenientiam quæ occurrerent, si Angeli aliqui ab invicem discerni non possent.

843. Obijciunt. 3. Ea Univerſi pars, quæ est proxima Deo, & complectitur substantias abstractas, & immateriales, utique est producta cum nobilissimo ordine & proportionem: sed ordo nobilissimus est ordo per se, & non ordo per accidens: ergo inter Angelos qui sunt proximi Deo, Deus observavit ordinem per se, & non ordinem per accidens: ordo autem per se est, quando partes illius ex intrinseco prædicato perunt ita ordinari, ut unaquæque sit in tali loco superioritatis vel inferioritatis. quod si Angeli omnes specie differant, servatur hic ordo, quia (ut illi R.R. supponunt)

supponunt) non possunt duæ species esse æqualis perfectionis: si verò aliqui solo numero differant, jam inter illos esset ordo per accidens: sicut inter homines per accidens est, vnum esse altero superiorem.

§. 1. Hoc argumento ad summum probatur, connaturaliter debuisse servari ordinem per se, & sine miraculo aliter fieri non potuisse, sed non probatur Deum contra hanc exigentiam non potuisse inducere ordinem per accidens, quo compensaretur ordo per se; quatenus, exempli gratia, Deus videns aliquos Angelos lapsuros esse, potuit nolle integras species perire, sed eas in aliquo individuo salvare. Existimant enim plures, cum Petro de S. Josepho, nullam speciem adequatè perisse. Sanè hæc poterat Deo esse ratio producendi plura individua ejusdem speciei, & sic inducendi ordinem per accidens.

§. 2. Etiam si demus, nec hoc potuisse à Deo fieri, inde tamen necdum infertur, non potuisse Deum totum ordinem per se servare, producendo ab initio statim alia individua ejusdem speciei, quàm quæ producta sunt. Ad summum ergo probaret argumentum, plures ejusdem speciei non posse produci simul & in eadem Republica: sed non probat, non posse plures produci vel in diversâ Republica, vel successivè, v. g. destruendo totum hoc univèrsum, & aliud producendo. vel ab initio statim alia individua harum specierum producendo, sicut loco hujus solis potuisset alium producere, etiam si repugnarent plures soles simul esse in Univèrso.

§. 3. Responderi potest. cum P. Esparza, negando, quòd Angelis debeat ordo per se purus, nullo admixto ordine per accidens. Dici enim potest, quòd sicut alia quedam imperfectiones sunt omnibus creaturis communes, ita etiam sit ordo per accidens. Potest hoc confirmari ex eo, quòd defuncti Angeli sint deputati gubernandis corporibus sublunariis, & quidem diversis Angeli diversis ejusdem speciei corporibus; neque credendum est, quòd per hoc fiat aliquid contra jus Angelorum: si ergo non est contra jus perfectioris Angeli, adhiberi ad ministerium æquale cum Angelo inferiore (prout in sententia adversariorum dicendū est) multò minùs erit contra eorum jus, esse plures Angelos æquales, vt adhibeantur æqualibus ministerijs: & sic adhuc servabitur ordo per se.

§. 4. Respondeo. Concedendo, quòd ordo per se purus, comparatus cum ordine per accidens puro, sit perfectior; negando tamen, quòd ordo per se mixtus cum ordine per accidens, sit imperfectior quàm ordo per se purus. Cujus rei plura superiunt exempla. Vita contempla-

tiva pura, est perfectior, quàm vita activa pura, non tamen est perfectior, sed imperfectior quàm vita mixta ex contemplativa & activa: item Monarchia pura est quidem perfectior quàm Aristocratia, mixta tamen forma Reipublicæ ex utraque, est multorum opinione perfectior quàm pura Monarchia.

847. Obijciunt. 4. In rebus quæ sunt ad finem, sumitur necessitas à finè, vt dicitur. 2. phys. Finis autem rerum intra eandem speciem multiplicabilium, est earum rerum perpetuitas: cum enim sint corruptibiles, perirent, si in vnico individuo existerent: quare debebant posse suam speciem propagare: at verò Angeli sunt ex natura sua incorruptibiles & perpetui, quapropter cessat finis multiplicabilitatis intra eandem speciem: ergo non sunt multiplicabiles. Responderi potest. 1. Negando quòd finis rerum intra eandem speciem multiplicabilium, sit vnice perpetuitas earundem propter easdem, quin potius finis est, vt possint homini sufficienter servire, quamdiu illis pro loci & temporis diversitate indigebit: hinc in fine mundi desinent generationes & propagationes rerum sublunarium, quia non amplius indigebit illis homo. Ob eandem causam dantur in omnibus speciebus sublunariis longè plura individua, quàm sint necessaria ad speciem perpetuitatem. Jam verò ob eundem finem debebant esse multiplicabiles Angeli, quatenus sunt ex natura sua ordinabiles ad gubernationem hominis, aliorumque inferiorum corporum, vt jam dictum est. 2. Neque hoc argumentò probari intentum adversariorum, sed ad summum, quòd connaturaliter non sint multiplicanda individua Angelorum ejusdem speciei in eadem Republica & Univèrso. Dixi, ad summum.

Vtrum autem hoc probetur, est incertum, & ante hæc cum Card. de Lugo probabile esse judicavi, non esse multiplicandos, ob hanc ejusdem Authoris rationem. Cum enim non possint omnia possibilia produci, videtur conformius esse appetitui rerum, vt beneficium existentia à pluribus participetur, ob quam causam natura cavet, ne idem individuum semel destructum, reproducat: ergo pari modo, cum non possint omnes Angelorum species possibiles produci, connaturalius erit, si tot species existerent, quot Angeli, quandoquidem tota species sufficienter salvatur in vno individuo. Hæc, inquam, ratio est probabilis, sed non convincens; quia ob æqualitatem munerum fortè connaturalius erat Angelis, plures ejusdem speciei produci, vt contendit

P. Esparza, de qua tamen connaturalitate non est Theologo multum litigandum.



CAPVT